

IN LIBRUM QUARTUM

EPI TOMA.

URseolus Dux, qui Candiano successit, Ducatum quod proxima populi consternatione conflagrat, privato sumptu reparavit: Tabulam preciosissimam ad aram maximam statuit: Venetus Sarracenos ad Baretum navali praelio fudit: Vitalis Gradensis Antistes Candiani caesi filius, ad Othonem Imperatorem transfugit: Quos Adheleta, illustris foemina, fortunae casus fuerit experta: Cum Justinopolitanis foedus renovatum: Urseolus religionis causa clam ex urbe est profectus: Reipublicae status non nihil civili jactatus est discordia: Otho secundus Venetos occulto petiit bello, ac primo fame tentavit: Georgii aedes e regione fori condita est: Totius Illyrici descriptio: Urseolus Princeps omne Histricum Dalmaticumque nomen in fidem recepit: Otho Imperator dissimulata persona Venetias venit, secretoque apud Principem in hospitio fuit: Phaledri Divo Benedicto aedem erexerunt: Venetus Hadrienses inter Athesim & Padi ostia magno praelio superavit: & in Dalmatia non multo post in Heresimum Croatiae Regulum prospere pugnavit: Otho Princeps in exilium actus est: Dominicus Urseolus postridie quam Ducatum temere occuparat, a populo fugatus Ravennam in exilium abiit: Iaderenses qui jam antea in Venetorum fidem venerant, ab Imperio defecere: Reipublicae ocia a Pepone Aquilejensi Antistite turbari coepta sunt: Unde Normani, qui in Italia diu fuere, originem traxissent: Et quae Guiscardi ductu in Italia & Sicilia ab illis sunt gesta: Veneti Normanos ad Dyrrhachium navali praelio vicerunt.